Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

terpellas pro nobis nec inde dubito quia ex nunc antequam fiat per spiritum prophecie michi monstratum est quoniam dominus resuscitabit xpm suum a mortuis

Exaudiet illum orantem dominus de celo sancto suo ubi sedens ad dexteram pris interpellat pro nobis in cuius fortitudine virtute et potencia salutis et potencia spiritualis consistit fidelium

Reprobi vero volubili successione temporalium bonorum que quasi rote voluuntur trahuntur Hii in curribus superbis efferuntur honoribus atque in eis exultant nos autem servi dei spem nostram figentes in eternis in nomine domini invocabimus divinam clemenciam

Ipsi reprobi funibus peccatorum suorum et rerum temporalium cupiditate ligati ceciderunt de spe celesti in morte eterna nos vero electi surreximus ab infidelitate ad fidem a viciis ad virtutes et erecti sumus auxilio gracie tue ad contemplanda et amanda celestia qui prius tortuosi fuimus in peccatis

Domine salvum fac regem xpm resuscitando eum a mortuis quia salvo rege salvi erimus ut ipso sedente a dextris tuis et interpellante pro nobis exaudias nos per eum in die necessitatis nre

Psalmus vicesimus In quo de duplici natura in xpo scilicet de divinitate et humanitate

Propheta loquens ex parte humanitatis xpi ait o

Domine in virtute tua de omnipotencia maiestatis tue letabitur xpus rex regum et in eo quod per eum disposuisti salvare mundum exultabit vehementer

Desiderium cordis eius scilicet animam suam ponere pro redempcione mundi et desiderium glorifica